



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. F. Bartolomaei Salvtii Ordinis F. Minorum de
Obseruantia, Lvx Animæ Ad perfectionem anhelantis ;
Opvscvlvm Insigniter pium, et perfectionis studiosis
neceßarium**

Cambi, Bartolomeo

Coloniae, 1606

Modus eluendi maculam sensualitatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50816)

utuntur . O vtinam perspicere posses anima, quam multi numero sint, qui magna quidem operantur, quorum tamen labor omnis frustraneus est, nulliusque aut certè perexiguæ utilitatis, non aliam ob causam, quã quod affectionem peccatorum venialium; & speciatim ad sensualia in seipsis mortificare, atque perimere non student.

Modus eluendi affectionem sensualitatis.

DICAMVS nunc quomodo turpis hæc macula mundanda sit: Adferemus autem triplicem modum generatim maculam hanc perpurgandi: de gula, & luxuria specialiter loco suo agemus.

PRIMVS modus est: Considerare, quanta sit nostra miseria & infœlicitas, quod sensualitati, quam communem cum bestijs ratione carentibus accepimus, subiecti simus.

Miseria nostra quam magna.

SECUNDVS est: Expendere quanta damna & incommoda, secum ferant hæc sensualitates: quodque

Sensualitas inimica animæ.

C 5 hostes

hostes nostri acerrimi sint, qui capitali nos odio inuestantur.

Vanitas & breuitas sensualitatis.

TERTIVS est; Animo reuolueret, foeditatem, vanitatem & breuitatem harum sensualitatum: Qui somno indulget similis est homini mortuo: Qui cibum capit, humores & spurcicias corpori subministrat: Qui voluptatem ex aliorum sermonibus, risibus, & iocis haurit, nihil aliud agit quàm quod in re vanissima & fugacissima, quæ momento temporis præterit, & celerrimè tranſiolat, delectationem quærit.

*De amore inordinato,
Macula IV.*

CAPVT V.

Marc. 12.

*Amor Dei & amor mundi contrarij sibi sunt.
Iacob. 4.*

DILIGES Dominum DEVM tuum, ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, ex tota mente tua, & ex tota virtute tua, ait Dominus & saluator noster IESVS Christus. E diametro repugnant, Anima, amor Dei & amor mundi, vsque adeò vt Apostolus affirmet: *Qui voluerit esse amicus huius seculi: inimicus DEI constituitur.* Et Christus